

XVIII.

LEO PP. XIII. VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Annum ingressi sumus quintum et vicesimum Apostolici munera: Nr. 2814. spatiumque respicientes in maximis curis assiduisque confectum, admiratio Nos Ssmi Domini divinae bonitatis commovet; unde cum beneficia innumerabilia accepimus, tum Nostri Leonis Papae XIII. Episcopatus diurnitatem. Itaque summo rerum Parenti, eidemque auctori et arbitro vitae gestit animus stola Apostolica, qua testamenti placitum est huius lucis Nobis usuram prorogare, officium a Nobis esse sanctissimum, in munis studia utilitates et incrementa Ecclesiae quantum superest virium impendere, eiusque gratia sua votaque, nec laboris quidquam nec sollicitudinis defugere. — Iam a gratae voluntatis significatione, debita benignissimo Numini, cui sit gloria lausque sempiterna, libet affari vos, commendat. Venerabiles Fratres; qui ut, suam quisque, Dominici gregis custodiam geritis a Spiritu Sancto mandatam, ita pastoralis officii Nobiscum certamina palmas, laeta tristia participare consuevistis. Haerebunt Nobis semper in memoria pietatis observantiaeque officia et multa et praeclara, quibus cum Pontificatus Nostri cursum continentem ornastis, tum huius felicitatem eventi fecistis iucundiores. Quae quidem officia, ut sumus vobiscum paterna muneris necessitate coniuncti, grate admodum complectimur: etsi non tam caussâ Nostra, quam quod argumento sunt, adhaerescere vos penitus huic Sedi Apostolicae, quacum tamquam centro suo ceterae orbis catholici contineri sedes debent. Quod si unquam alias oportuit sacrorum Ecclesiae Antistites caritate mutua et cogitandi agendique similitudine inter se cohaerere, perinde quasi ex omnibus exsisteret cor unum et anima una, id enimvero hodie, quae sunt tempora, necesse est.

Numquemnam latet conspirans ille ad labefaciendum opus Jesu Christi consensus infensissimorum hostium, christiana vel dogmata vel instituta, pertinacia incredibili, convellere molientium? Haec vos plus satis experiendo nostis: qui etiam saepe Nobiscum deplorare soletis, disseminari passim licenterque opinionum et doctrinarum pestes, malisque errorum venenis imbui multitudinem. Proh circumventam insidiis incautorum fidem! Ecclesiae interea, quod magis dolendum injectis omne genus vinculis, sua minuitur et quoad potest eripitur auxiliandi copia. Et tamen non dubitant, cumulantes flagitio damnum, arguere Ecclesiam ipsam debilitatae virtutis, quod non, ut antea, populares cupiditates, in perniciem communium rerum inflammatas, queat restinguere.

Equidem iucundiora velimus, accomodate ad factum laetabile, scribendo persequi. Verum neque id patiuntur insidentia Ecclesiae incommoda quae levari mature postulant, neque haec tam misera societatis humanae tempora; cui quidem ille a christiana disciplina institutoque discessus fortunarum morumque detimenta adhuc magna peperit, maiora struit. Siquidem sanctum natura est, omniumque saeculorum memoria ratum, non posse religionis reverentiam deturbari publice, quin simul convictus humani prosperitas corruat. — In eiusmodi rerum asperitatibus, ad excitandos confirmandosque opportune animos opus esse arbitramur, huius quod cum Ecclesia geritur bellum, initia caussas multiplicemque exsequi naturam, quae perniciosa consequantur monere, medendi demonstrare vias. Itaque, licet referens quae saepe ediximus in hoc genere, pertineat usquequaque volumus, paternae caritatis plena, vox Nostra; neque ad filios modo catholicae unitatis feliciter compotes, sed ad eos etiam qui Nobiscum de fide dissident, vel qui ab ipsa plane sunt alieni: quippe universi omnes uti eodem sunt prognati Patre, ita ad idem summum invitantur bonum. Sitque ea vox testamenti instar, quo gentibus suprema salutis communis studia Nostra votaque, impendente iam exitu, commendamus.

Veritatis iustitiaeque vindex, Ecclesia Christi adversa multa et aspera nunquam non pertulit. Ex quo enim instituit, quod acceperat ab Auctore suo munus, constabilire et propagare in hominibus regnum Dei, eosque ab amore fluxarum rerum ad immortalium traducere, necessario in offenditionem humanae incurrit corruptae depravataeque naturae. Studia nimirum infesta sibi et inimica sensit cupiditatum, quibus responsandum viriliter esse ipsa edicebat. — Nec vero id acciderit homini christiano novum, quando Christus alumnis disciplinae suae denuntiavit, omnia hostilia, dum mundus foret, usque passuros. Pervulgata sunt, quae ipsos dimissurus in orbem terrarum Evangelii paecones, monuit: *persequentur vos; eritis odio omnibus propter nomen meum; trademini ad reges et praesides; tradent vos in tribulationem et occident vos.* Animosque de suo caperent exemplo voluit: *si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit!*¹ Adeo digna promeritis heic redditur merces!

¹ Io. XV, 18.

Iamvero huius tantae invidiae nemo aequus rerum aestimator caussam satis idoneam repererit. Urgente caritate immensa, demisit se abiecitque Christus ad humilitatem conditionis humanae; praexcepta dedit sanctissima, plena solatii, apprime facta ad pacandos inter se copulandosque germanitatem homines; opes gloriae contempsit; iura nullius appetivit; aegris, calamitosis, aerumnosis benignissimus adfuit; denique aetatem omnem optime de hominibus merendo contrivit. Quodsi tamen factus is est, quod Simeon praecinerat fore, *signum cui contradicetur*,¹ prodigium certe nequitiae hic agnoscimus, atque eo immanius, quo iniuriosius.

Porro Ecclesiam catholicam, Christi heredem muneris, custodem doctrinae mirumne sit eadem usam esse fortuna? Semper eadem constat saeculo perversitas, urgentibus pios impiis ab humani generis hoste profectis, quem ipsum inimicum Dei ab initio rerum, *principem huius mundi*, sacrae appellant litterae. Hi scilicet, quoniam imperium Dei contumaciter abnuunt, nec denunciari sibi divinam patiuntur legem, nec omnino eos, qui rite denunciant, ferre possunt. Itaque coniurati Ecclesiam perdere, quoties turbulentioribus aetatibus contra omne ius fasque communis humanae immania edidere crudelitatis exempla! — Ergo aliud ex alio omnia tentata genera saeviendi. Recens ab origine, vi tormentisque cruciatum publice christianum nomen; triumque saeculorum spatio Urbem romanique imperii fines perfudit martyrum crux. Tum, domestica pestis, haereticorum perfidia extitit, tecte primo, dein audacter aggressa technis rationumque fallaciis concentum fidelium unitatemque dissolvere. Erupit deinceps plus semel a septentrionibus barbarorum procella, Saracenorum ab austro, internotionem vastitatemque faciens. Cumque veluti provinciam male habendae Ecclesiae aetas aetati transmitteret, eam suscepit, restituto imperio, Caesarum dominatio, superba fere atque impotens; quae sollicita ne prae se sacra potestas cresceret, eius sive libertatem coercere sive iura attentare non destitit. Taedet considerare, quot quantisque difficultatibus affecta atque afflita subinde Ecclesia fuerit. Illa vero ex angustiis incommodisque evadere fortior; pacifici regni sui proferre terminos; nec veteris humanitatis fructus negligere, custodiendis litterarum et artium monumentis; sed laborare in primis, ut civitatem penitus evangelica sapientia pervaderet totamque imbueret. Ita Christianum cultum in commune invexit; peperit que conformatis eo cultu gentibus aequitatem legum, mansuetudinem morum, tenuum tutelam, calamitosorum inopumque misericordiam, alieni iuris dignitatisque verecundiam, denique civilium rerum cursum, pro naturali studiorum concertatione, tranquillum, temperante nimirum iustitia libertatem.

Documenta tam magna tamque illustria beneficiae virtutis suae cum daret Ecclesia, ad finem aetatis mediae processit, invidia improborum comite: quae autem sequuta est aetas dimicationes ei vel acerbiores attulit. Etenim saeculo sextodecimo luctuosa illa exarsit, cuius nota sunt semina, perduellio

¹ Luc. II, 34.

Novatorum; qui caput ipsum adorti, idest romani Pontificis auctoritatem, unde universitas Christifidelium in unum corpus coalescit vivum vigensque, florentissimas gentes a catholicarum complexione misere abstraxerunt. Quo facto discidio illuc necessitate evasere, quo fortasse non spectarant, ut christiani nominis vix umbram retinerent, rem fere exuerent. Nam abiecto semel ex una parte magisterio Sedis Apostolicae, quo maxime unitas fidei salva consistit, posito ex altera proprium cuique iudicium esse normam credendi, infinitis sententiarum commutationibus patuit aditus; quare iam nullum est tam sanctum doctrinae christianaee principium, quod non illi aut in dubium revocent, aut funditus repudient.

Idem insistentes iter, progressi sunt longius, qui insolenter se philosophiae nomine iactarunt saeculo duodevicesimo. His nullae fuere divinae litterae; nulla, Deo manifestante, nota veritas; unum propositum, ex animo populum omne christianaee religionis vestigium abolere. Ex his fontibus perniciosa illa fluxere portenta *rationalismi, pantheismi, naturalismi, materialismi*; quibus veterum errores quos sancti Patres vindicesque fidei splendide convicerant, specie instaurant nova: prorsus, ut superbia recentiorum, contemptu christianaee sapientiae lumine, ad ethnicae vetustatis deliramenta regrediatur, vel quod attinet ad animorum naturam et immortalitatem.

Itaque factum ut, multo quam antea, ingravesceret ad hanc diem in Ecclesiam bellum, latiusque manaret. Siquidem aetas incredula non satis habet unum et alterum fidei sanctae oppugnare caput: cuncta simul caelestium doctrinarum principia, ipsa sana philosophia reclamante, aggreditur. Atqui huiusmodi principia divinissima hominem de supremo fine monent sui, in officio continent, afflictum recreant tolerantiamque dolorum docent, atque erectum in expectationem incorrupti iudicis Dei, vitaeque post mortem beatae, iubent terrestria posthabere caelestibus, caduca mansuris. Porro in locum fidei quae tantae salutis ubertatisque affert elementa, quid isti sufficient? Nempe abnormen veritatis fugam quae frangit animos, et omnes generosae virtutis nervos elidit.

Iamvero pravarum doctrinarum luem videtis, Venerabiles Fratres, ex opinionibus hominum in agitationem vitae, venasque rei publicae defluxisse. Magnae enim et imperiosae civitates adhibere eas doctrinas atque usurpare non intermittunt, se ratae propterea progredientis humanitatis videri duces. Etiam fere qui civitatibus praesunt, perinde quasi non debeant assumere sibi et praeseferre quantum in communibus moribus est optimi, solutos se putant officio colendi palam Numinis; saepiusque fit, ut professi omnium religionum aequam se habere rationem cum ea solum inimice agant, quam Deus instituit.

Comparatis autem ad contemptum Dei civilibus rebus, quam necesse fuit consequi, consequuta est magna perturbatio demutatioque morum: quippe recti honestique fundamentum religio continet; id quod ipsi sensere ethnicorum sapientissimi. Etenim abruptis officiorum vinculis, quae hominem iungunt Deo, summo omnium legislatori et iudici, nihil superest, nisi simulacrum illud hone-

statis mere civilis, sive, ut aiunt, a nullo pendentis; quae nimurum de lege aeterna praeceptisque divinis nihil pensi habens, illuc prono itinere ad extremum evadit, ut hominem suarum ipsius cupiditatum arbitrio permittat. Qui quidem spe dimotus supernorum bonorum, quid aliud malit, quam ingurgitare se in huius commoditates suavitatesque vitae: explere crescentem voluptatum sitim; divitias quaestusque immodosus avidius, invita etiam iustitia, facere; auctaque libidine dominandi, ad imperia honoresque quavis demum arte conniti? At ubi sic animos multitudinis transversos agit licentia, iacent leges, iacet auctoritas publica; nec iam longe abesse communium temporum pernicies potest.

Iamvero quae incommoda dicimus ex hac tanta rerum perturbatione gigni, plus nimio constat evenisse; videmusque congregationis humanae fundamenta, aeternis submotis iusti rectique principiis, nutare. — Atque cum omnia civitatis membra, tum domestica societas praesertim magnam plagam accepit. Nam, alienus ab Ecclesia, principatus civilis rationem finesque migrans ditionis suae, maritale vinculum sibi vindicavit, omnique exuit sanctitudine; nativum parentum ius educendae prolis violavit; stabilitati coniugiorum multifariam obfuit, concessa legibus divertitorum facultate. Inde est, quod nemo ignorat, ut excrescat quotidie nuptiarum numerus, quas uti libido temere conciliavit, ita brevi fastidium infidelitasque dissolvit: nihil autem sit miserabilius conditione sobolis, quae et parentum incuria aut etiam consuetudine mala mature corrumpit, et a profana institutione reipublicae imbibit pravarum opinionum virus.

Domesticarum rationum labes labem socialium et politicarum tulit; maxime quod nova commenta germanam notionem principatus, praepostera eidem tributa origine, adulterarunt. Etenim si est ut auctoritas principum non a Deo, supremo aeternoque omnis potestatis fonte, verum a populorum consensu suffragiisque oriatur, continuo illud ipsa deperdit quod unum eam religiosissime commendet civibus, abitque in facticum quoddam imperandi genus, tam instabili et lubrico nixum fundamento, quam est mutabilis hominum voluntas. Ex quo illud appetit effici in legibus, ut plerumque victricem quidem sententiam politicarum partium, numero antecedentium, minime vero *scriptam rationem* referant, uti par est. Ob eamque ipsam caussam cernere licet, foveri appetitiones projectas multitudinis; dari frenos popularibus cupiditatibus, ipsa negotia pacemque civium interpellantibus; eos autem multa cum vi atque etiam caede inhiberi, quotiescumque sit ad extremum casum res adducta.

Similiter, ubi a communi iure gentium exsularunt christiana praescripta, quorum mira vis est ad devinciendas invicem et quasi congregandas universas in unam veluti familiam, paullatim instituerunt nationes sua quaeque immoderate querere, aliena aemulari, atque inter se si minus infestum animum gerere, at certe suspiciosum. Quare in suis eas coeptis non magnopere celsa honestatis iustitiaeque forma movet; nec sua quidquam interesse putant, contra vim potentium humiles defendere: sed totae cum sint in amplificandis sine

modo opibus suis, unice quod opportunum atque utile sibi fore censuerint, id maturant exsequi: siquidem persuasum habent, facinore patrato feliciter, qui se reducturus sit ad officium, fore, neminem. His igitur iudicandi normis, supremam legem rerum humanarum statuunt vim esse: eamque ob caussam certatim intenditur undique militaris instrumenti immanitas; unde eiusmodi pax existit, cuius detimenta perniciosissimum quodque bellum exaequent.

Perturbata vero publicorum disciplina morum, crevere immensum tenuum incommoda, inquietos contumacesque commoventia spiritus; indeque illa nata turbarum seditionumque frequentia, quae graviores iam formidines portendit. Indigne quidem minuta plebs magnam partem laborat, quibusque premitur rerum omnium angustiis liberanda aut certe levanda celeriter est: iis tamen angustiis commodo abutuntur ad sua consilia concitatores vaferimi, *Socialistae* in primis, qui plebem fallacibus pollicitationibus infatuantes ad tetricima peragenda proposita grassantur.

Quoniam autem per declive ruentem necesse est ima petere, ex positis principiis necessitas consecutionum demum effecit, ut consociatio quaedam coiret hominum perditis moribus ingeniisque efferis, quorum atrocia facta terrorem ubique brevi iniecerunt. Opibus valida et numero gregalium in omni gente, quoniam iam non potest consociatio istiusmodi consceleratas afferre manus, fidenterque capitalia quaelibet audere? Qui autem in ea sunt haeresi, ii revulsis legum religionis morumque vinclis, a civili se convictu alienos penitus haberi volunt; impositoque sibi *anarchicorum* nomine contendunt omni furiosae temeritatis impetu societatem humanam ab imis radicibus evertere. — Quia vero societas cohaeret vigetque potissime temperatione potestatis publicae, idcirco potestas potissime est telis profligatorum hominum proposita. Ecquem non perfudit horror miserantem simul et indignantem, cum videret his paucis annis aut paratam necem aut allatam imperatoribus augustisque foeminis, regibus et amplissimarum praesidibus rerumpublicarum, neque aliam ob caussam, quam quod potentatum obtinerent?

His tot tantisque vel prementibus malis vel ingruentibus periculis, nostrarum esse partium intelligimus, omnes quotquot sunt recte animati, eosque magis qui potestate antecellunt, cohortari denuo atque adeo obtestari, idonea velint, quae suppetunt, remedia attendere, eaque vigilanter nervoseque proponent adhibere. Principio autem illa quae sint, quantaque polleant virtute considerandum est. — Libertatis quidem praedicari commoda audivimus magnifice que eius laudari virtutem, tamquam pacis actuosaeque prosperitatis effectricem, ut nihil supra: sed mancam illam ac debilem exitu rebusque satis cognovimus. In bonis fortunisque, in ordinibus civium calet flagratque apud omnes, quae ubique sunt, gentes contentio; necdum tranquille placideque in civitate vivendi spes ulla ostenditur. Quin etiam illud, quod hodie placet, ut promiscuo iure libertatem usurpent error cum veritate, cum honestate turpitudo, exploratum

cuique est quo pertineat; nempe ad quaecumque sunt honorabilia sancta excelsa opprimenda, muniendamque viam maleficiis, necibus voluntariis, turpissimarum flagitiis cupiditatum.

Visum est etiam valde conducibile, popularem eruditionem provehi; quippe, quo cultiores, dispulsis inscientiae tenebris, animi fierent, eo contra prava studia cupidinum munitiores forent, faciliusque essent honesti rectique normam servaturi. Veruntamen institutio eiusmodi, quae a solida religionis morumque disciplina abhorreat, quotidianis prope constat experimentis, quo tandem evasura sit. Perversarum error opinionum, quas ephemeridum praesertim infinita licentia fundit, adolescentem aetatem, improvidam eam quidem maximeque cupiditatibus concitatam, facile decipit; mentes animosque passim depravando corrumpit; ac talem vulgo alit superbiam et intolerantiam, quae familiarum statum pariter ac civitatis permisceat.

In assiduis quoque doctrinarum progressionibus spei multum multi collocarunt. Quo quidem in genere incrementa proximum saeculum et magna et nova et admirabilia vidi: illos vero tantopere concupitos indeque expectatos, fructus salutis uberes num vidi? Recentiorum sane sollertia novos eosque immensos campos ingeniis ad pervestigandum aperuit, hominis in naturas corporeas dominatum protulit, commodisque multis actionem auxit vitae mortalnis. Rem tamen spe deterius evenisse, cuique conspicuum est consideranti et hunc talem animorum morumque habitum, et annuas descriptiones criminum, et ab infimae sortis hominibus formidolosos fremitus, et vi iura subacta. Atque ut mittamus de redacta ad incitas plebe, mentes passim inopinabilis quaedam premit aegritudo, intimoque desiderii sensu oblanguent pectora. Neque enim si res corporeas sibi obnoxias homo fecit, animum tamen explevit suum; aut quod plura scientiae investigatione compererit, eo in maximis difficillimisque caussis haeret minus. Omnino veritatis, virtutis, infinitique sitientem boni irritant terrena, non satiant; externarumque augenda copia suavitatum, nequaquam ex animo demi sollicitudines possunt.

Contemnendae ne igitur sunt aut negligendae doctrinarum opes, civilis cultionis, temperatae moderataeque libertatis? Minime vero: immo tuendae promovendaeque, ac perinde habendae per se sunt, ut totidem ab ipso Deo comparata subsidia ad humani generis utilitatem. Attamen ita ea sunt reapse, consilio Creatoris, frugifera, si apta et connexa fuerint cum virtute religionis, unde omnem vim habent, utilitatis bonae efficientem. Nimirum haec una res caussam continet. Nam ut quidque, si dimotum sit a caussis, a quibus consentaneam trahit stabilitatem, necessitate corruptitur; ita pariter cum ea ipsa caussarum virtute denuo coniungatur oportet, si volet corruptum restitui. Iamvero civitas, ex quo stultissimum iniit consilium sese vindicare a Numine, divinitus traditas doctrinas atque adeo quaecumque sunt supra naturam proterve respuens, salutiferam ab se prohibuit christianaee religionis efficientiam; unum illud videlicet

omnium vel ordinis firmamentum solidissimum vel germanitatis validissimum vinculum vel recte factorum publice privatimque inexhaustum fontem. Itaque hoc ipsum civitatis a religione discidium magna vitae morumque secuta perturbatio. Ad christiana igitur instituta se recipiat opus est devia civitas, si prosperas, si pacatas, si salvas esse res suas velit. — Quemadmodum enim nullius christiana sapientia illabitur animum, quin faciat eo ipso meliorem; eodem modo ubi cuiuspam pervasit illa administrationem reipublicae, continuo pacatior tranquilliorque status consequitur. Siquidem Dei notione providentissimi, sapientissimi, infinitaeque eius tum bonitatis tum iustitiae mentes imbuens, ad conscientiam officii revocat, aerumnarum acerbitates temperat, molit iras, suadet magnanima. Quod si penitus commutavit illa nationes ethnicas planeque ab interitu revocavit ad vitam, si qua vestigium posuit barbariam exclusit, eadem profecto poterit perturbatam, postquam a se declinavere, civitatum disciplinam rursus, ubi ad se redierint, componere. — Sed is, quem dicimus redditum, ut veram plenamque salutem efficiat, hoc vult, ad unius sanctae catholicae apostolicae sinum complexumque redire Ecclesiae. Etenim christianam sapientiam reapse sola totam Ecclesia continet, summe spiritualis illa quidem at numeris omnibus absoluta societas: in qua consistit corpus Jesu Christi mysticum, cuius aspectabile caput est, principis Apostolorum obtinens locum, romanus Pontifex. Ipsam Liberatorem humani generis constituit perfectricem operis sui, partaque ab ipso salutis administratorem: Evangelium in orbem terrarum ipsa disseminavit fusoque sanguine asseruit; ipsa sanctissimis freta promissis, praesentem sibi non detecturae fore Deum, a quavis erroris contagione integrum Christi doctrinam perseverat ad postremam saeculorum aetatem prodere. — Dux eadem legitima morum ad Evangelii praescripta, non ea solum tuetur, quae singulis ad sempiternam salutem opus sint, verum etiam quae maxime conducant reipublicae, iustitiam, caritatem mutuam, veri nominis libertatem, eamque quae una potest esse, civium aequabilitatem. Praeceptis enim institutisque divini Conditoris sui, iura rationesque omnes communitatis humanae suo quodque momento ponderata dispensat atque componit. Ita cum pares inter se ab eiusdem consortione naturae iubet haberi cives, iubet eodem tempore inviolatos esse, quae natura ipsa discretos vult, varios ordinum gradus. Libertatemque affert eiusmodi, quae rationem ab obsequio obedientiaque fidei nequaquam eximat, aut sibi ipsam permittat; in quo ius esse edicit, ut libertas veritati concedat, vis numerusque iustitiae, ea quae sunt hominis iis quae sunt Dei.

Neque eo minus salubriter convictum domesticum Ecclesia iuvat: quae et ipsum ab insidiis et licentia impatorum fidei hostium tegit, et arctissima coniugalis amoris vincula confirmans, honestatem thalami sanctitudinemque custodit. — Eadem porro in genere civili et politico conservat ordinem et roborat, cum ex una parte eorum qui imperant, sustentet auctoritatem, ex altera eorum qui perent, si quando rite meliora quaerant, aequis suffragetur optatis: hinc scilicet sartam tectamque decernens esse verecundam principibus obtempe-

rationem, illinc inviolabilia iura vindicans humanæ dignitatis. Atque ita aequa servitute longe distabit et ab herili dominatione civitas, dum dicto audiens fuerit Ecclesiae.

Harum Nos quidem rerum probe consciit, vixdum suscepto Pontificatu Maximo, illuc curas omnes cogitationesque convertimus, ut eminerent per Nos atque exstarent plena salutis consilia Ecclesiae, atque eius cum doctrinarum lux tum vis beneficiorum, quam latissime posset, pertineret. Eo spectarunt quae protecta sunt a Nobis documenta praecipua, nominatim Encyclicae Literae de philosophia christiana, de libertate humana, de matrimonio christiano, de secta Massonum, de politico principatu, de civitatum constitutione christiana, de sectis Socialistarum, de praecipuis civium christianorum officiis, de conditione opificum, aliaeque simili argumento. Cumque Nobis esset in summis votis non modo collustrari veritate mentes, sed etiam revocari ad christianarum virtutum cultum voluntates, propterea quantum cohortando praecipiendoque potuimus, nihil fecimus reliqui, ut ad sempiterna adamanda bona excitaremus animos; utpote ad quae omnem vitae referri cursum oporteret. Factumque est, ut bene multi adiuvante operam Nostram Dei gratia, et firmius in veritate consistenter, et in difficilimis gravissimisque caussis plus viderent, et ardentiore studio inflammarentur ad eam, quae ubique in miseros impenditur, multiformem beneficentiam: ut est nimirum christiana caritatis ingenium, ad quasvis vulgi se miserias porrigen. Quod si tamen ubiores capere fructus non licuit, revereamur arcana Dei consilia, Venerabiles Fratres, imploremusque, benignus respiciat tam ingentem hominum numerum, in quos nimium quam convenit illud Apostoli: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriae Christi.*¹

Hi enimvero Ecclesiae, egregium studium populis in omnes partes navantis, tanto cum odio connituntur obscurare existimationem, interpellare operam, ut facile possis tenebrarum filios agnoscere. Itaque in multis fallaciis calumniisque, quibus vulgi imperitiam capiant, et aemulationi serviant imperii, illa malitiosius conficta: Ecclesiam vel scientiae intercipere itinera, vel libertatis impedire usuram, vel in aliena invadentem, iura ad se rapere civitatis. Quae tamen crimina, sicut os adversariorum millies intulit, ita millies ratio, historia, consensus hominum recte sentientium propulsavit.

Inimicam doctrinarum et humanitatis aiunt Ecclesiam. Quasi vero quod tradita divinitus dogmata vigilanter custodit, eo ipso non optimis quibusque disciplinis et artibus fautrix adiutrixque sit. Tantum enim abest ut notitia rerum maximarum, Verbo Dei aperiente accepta, a quo ut a summa veritate quaecumque sunt vera manant, quidquam naturali cognitioni noceat, ut etiam humani ingenii facultatem roborando exacuat, submoto in gravissimis rebus errandi periculo aut ancipiti cogitandi cura. Ceterum exstant in memoria horum

¹ II. Cor. IV, 4.

undeviginti saeculorum insignia Ecclesiae in omne doctrinae genus promerita, quae falsum convincant. Ecclesiae catholicae laus est, vulgasse et custodisse evangelicam sapientiam; quae si non esset, etiamnum in tenebris superstitionum et barbariae iaceret orbis terrarum: unam curasse ut veterum litterae ne interirent penitus, ad nosque pervenirent: primam populo aperuisse litterarios ludos, eamdemque lycea illa magna instituisse, quae hodie exstant celeberrima: denique in omni genere et varietate artium fovisse homines praestantissimos, ingeniaque scriptorum ad excellentiam sinceramque gloriam excitasse.

Iniquam libertati dicunt Ecclesiam. — Nihil vero minus; si quidem maneat sua vis vocabulo, nec quod nobilissimo naturae muneri ac dono impositum est, id ad pravitatem vitiumque transferatur. Nam quam esse volunt libertatem, ut, nullis legibus frenisque cohibentibus, quod cuique libuerit facere liceat, eam quidem, nedum Ecclesia, nemo sanus probaverit; potestatem vero expeditam largamque ad legis aeternae normam agendi, in quo ipso posita est digna homine utilisque civitati libertas, nemo unus tuetur quam Ecclesia diligentius. Opera igitur et perseverantia Ecclesiae, in summis doctrinae suae capitibus aequalitatem fraternitatemque omnium inter se hominum defendantis, deletum apud christianas gentes servitutis dedecus: contra factiones potentium tectae rationes inopum: asserta multo cum sanguine martyrum christiani nominis professio: observata in puro et in foemina humanae personae dignitas et iura: in ipsoque civili et politico libertatis genere plurima populis importata adiumenta.

At, suos praetervecta fines, Ecclesia iura occupat reipublicae. — Imo vero Ecclesiae est celebrata doctrina, praecepisse Christum reddi Caesari quae sunt Caesaris, Deo quae Dei sunt; atque ita alteram inter et alteram potestatem, utramque in suo genere maximam, fixum illud et stabile sanxisse discrimen, quod magnopere ad christianam explicandam urbanitatem valuit. Porro nihil tam alienum ab Ecclesia, quae spiritu caritatis agitur, quam inimice se gerere erga potestatem politicam; cum qua imo studet concordi actione contendere ad eorumdem hominum eiusdemque humanae societatis bonum: quamquam ipsa congruenter suo divino muneri, multo, quam civitas, maiora spectat. Quodsi actio Ecclesiae vacuos omni suspicione animos inveniat, tum demum saluberrimos eos est latura fructus, quos diximus. Sed in quo ipsam reprehendunt tamquam in res civiles involantem, vetus est agnoscenda vituperatio, ob eam caussam usurpata, quod quotquot Ecclesiam opprimerent, id iure se facere videri vellent. Cuique autem sincero aestimatori rerum et iudici testis est locuples historia, iniurias Ecclesiam nullas cuiquam unquam fecisse; plurimas, ad similitudinem Auctoris sui, tolerasse: idque propterea quod non vi et armis valeret, verum opinione et veritate.

Relinquitur, harum et similium insimulationum esse malevolentiam causam. — Hoc autem nocendi studio et mentiendi facile praestat lucifuga quedam hominum consociatio, iampridem in medullis ac visceribus civitatis inclusum malum, quod ipsius civitatis vires omnes debilitat frangitque. Peturbationem

spirans rerum publicarum, ita est ea quidem constituta, ut sit contrariae societas societati civili, in quam dominari e suis ipsa latebris contendit; propterea que ipsi cum Deo Ecclesiaque Dei naturale quoddam bellum est. Hae tamquam insignes notae satis cuique produnt *sectam Massonum*, cuius, dedita opera, in Litteris Encyclicis *Humanum, genus*, XII. cal. maias anno MDCCCLXXXIV. datis, consilia doctrinas facinora exsecuti denuntiando sumus. Longe lateque serpens, iam omnes tere gentes pervasit istius lues exitiosa sectae, quae ceteras sibi cognatas complectitur sectas, occultaque movens machinatione dirigit. Neque id dumtaxat: sed qua multarum utilitatum fructibus asseclas suos pelliciendo, qua magistratus sollicitationibus aut minis flectendo, in omnes iam reipublicae ordines intulit sese: adeo ut respublica specie quidem legitime geri, re vera penes ipsam esse videatur. Haec tamquam spiritu inflata Satanae, qui, ait Apostolus, *transfigurat se in angelum lucis*,¹ quum humanae communitatis commodis se natam praedicet, in rem suam quidquid potest, convertit; quum nequaquam se spectare ad politica confirmet, maxime se lationi legum gubernationique civitatum miscet; quumque sanctam sibi esse profiteatur maiestatem principum, nec ipsam invisam religionem, id tamquam extremum molitur, quod eius prolata in lucem statuta clamant, principatum sacrumque ordinem perdere, utrumque sibi libertatis hostem.

Itaque in dies magis illud patescit, impulsu praesertim operaque Massonum, sicut iamdiu solitum graviter catholicum exerceri nomen, sic recens ipsius oppugnationem re cruduisse. — Et re vera, coortum nuper pluribus locis uno tempore subitum invidiae incendium, nec ulla satis idonea explorata caussa; similia ubique ad ipsum excitandum instrumenta, videlicet ephemeredum protervitas, turbae concionum, scenerum petulantia ludorum; eadem via populos commovendi, hoc est falsa atque iniqua insimulatio probrorum; talia profecto similitudinem mentium indicant, unumque ducem. Quamquam, hoc factum partis cuiusdam instar haberi debet ad universam pestiferi belli institutam rationem, quam diximus; quaeque urgetur in id maxime, ut paullatim destituta ab omni de religione doctrina, soboles succrescat incuriosa fidei sanctae aut prorsus incredula; ut assidua procacitate scriptorum christiani expugnentur mores; ut ludibrio habeantur instituta Ecclesiae et sollemnia sacra contemptui.

Quoniam autem Cleri proprium est imbuere religione animos ac ministrare sancta, idcirco elevandae in populo auctoritati gratiaeque Cleri multo vehementior datur opera. Tantoque accrescit audacia homines honestissimos in suspicionem crimenque adducendi eisque iniurias contumeliasque imponendi, quanto est maleficiorum impunitas quotidie maior. Itaque non satis habitum est, addixisse in militiam Clericos, intercepta eorum maturitate tirocinii; aut Ecclesiam spoliasse bonis, piorum in ipsam liberalitate collatis; aut alia indigne fecisse: nova sacer ordo pati detimenta cogitur. — In primisque familiae et so-

¹ II. Cor. XI, 14. *metu formi timile se qui omnia do obprobriis perire ambo*

dalitates religiosorum: quibus utpote ad evangelica consilia aetatem exigentibus, ea res proprie vitio vertitur, quae civitatum non minus quam religionis praeclarum ornamentum continet. His igitur ea dolemus inique odioseque iniusta nuper vulnera, quae nemo frugi quispiam non improbaverit. Nihil ipsis ad defendendam calamitatem valuit morum integritas, illustrior ea quidem quam ut ullis certis criminibus infuscari potuerit; nihil civilium statuta legum, quibus naturale ius honestam quampiam ob caussam coeundi sancitur; nihil memor gratia populi, referentis iis accepta cum magna doctrinarum et artium atque ipsius agrorum culturae incrementa, tum instituta effusissimae in aerumnosam plebem beneficentiae. Ita populares viros foeminasque complures, qui domesticis spretis voluptatibus, ut iuventam ingenium vires animam denique suam bono communi devoverent, sponte ac voluntate pacificas inierant sodalitates, in tanta copia libertatis vidimus tamen, sicut nocentium contaminatos greges, abire excedere iussos.

At vero mirum non est, ita mulcari male filios pientissimos, quando non lenius agitur cum Patre, hoc est cum Capite ipso catholici nominis, Pontifice romano. Compertas omnibus res loquimur; scilicet ut deturbatus de civili principatu Pontifex; alieni esse arbitrii cooperit, contra quam pertinens ad omnes gentes Apostolici ministerii perfunctio postulat; utque premente dominatu hostili, coactus Romae in Urbe sua continere se in suis aedibus, iniusta indignaque rerum conditione utatur: idque postquam ad ludibrium spoondissent, tutam ipsius et dignitatem et libertatem fore. Novimus ipsi quibus quantisque impedimentis praepediatur opera Sedis Apostolicae, cuius ad minuendam maiestatem ipsa eius consilia perverse interpretari placet. Quotidieque illud magis emergit, eo civilem eversum esse principatum, ut expeditior via esset ad sacram Pontificum evertendam potestatem: quod ceteroquin, missis ambagibus, profiteri qui auctores principesque facinoris fuerant, non dubitarunt.

Id vero contra rem non modo publicam sed socialem quoque esse factum, ex iis quae sequuta sunt, liquet: siquidem natura fit, ut coniecta in religionem tela, in humanam recidant societatem. Nam Deus, sicut hominem ad societatem finxit et conformavit, ita providentissimo consilio condidit Ecclesiam, sublimemque locavit, quemadmodum Scriptura loquitur, in monte Sion; unde latissime elucens, multiplices promoveret vires, humanae insitas societati, eamque, caelestium praescriptionum ope, ad consentaneam perfectionem adduceret. Quapropter, si ab Ecclesia cuius virtute magnam partem viget, societas humana secesserit, declinet sane aut ruat necesse est; quippe iis disiunctis rebus, quas Deus voluerit coniunctas.

Haec Nos quidem, tametsi numquam per occasionem praetermisimus, rursus in hoc tempore opportunum censuimus admonendo urgere. Ex quo utnam eum capere fructum liceat, ut et nostri, communis utilitatis caussa, instuant rectius contendere et animosius; et alieni intelligent, quam sit iniustum

maternam Ecclesiae caritatem ac paeclarām in humanum genus beneficentiam odio malefactisque rependere.

Ceterum, sit sane formidolosa imago, quam adumbravimus, horum temporum; non tamen remittendum de spe fiduciaque est, providentissimum Deum tempestivam nobis victoram aliquando daturum. Nos enimvero dolemus intime, neutquam timemus Ecclesiae, natae ad vexationes tolerandas, ut initio diximus. Ipsam si Deus vexari exercerique sinit, primum ob eam caussam sinit, ut probet limetque virtutem bonorum; deinde praesentiam auxilii sui demonstrat, per novas nec opinatas vias sospitans ab hostium conspiratione Ecclesiam et producens. Constat undevicenorum saeculorum experimento, procellas in ipsam tumultuosiores quam perniciosiores solere existere.

Atque illud hoc tempore recreat, quod ad fiduciam sustentandam certa rerum argumenta non desunt, Repugnandum difficultatibus est sane gravibus; sed plura nunc eveniunt, unde eluceat Deum persolvere promissa, fidelitate mirabili. Videre licet Ecclesiam, contra tantas adversantium coniuratas vires nullo humanitus praesidio munitam, unam tamen excellere, per assiduosque auctus invalescere in quavis ora ac parte terrarum. Omnino *princeps mundi huius*, semel a Jesu Christo exclusus, hic iam non dominabitur: urgere mala consilia nocendo potest, perficere non potest. Atque in tanta conversione communium temporum, quantam contraria hominum studia et erumpentes quotidie sectae gignunt, beneficio tribuendum est, foventis Ecclesiam, Spiritus Sancti, si non animos modo piorum sed universitatem catholici nominis mira quaedam securitas tenet: idque ob eam potissimum, quae nunc, si unquam alias, viget inter Episcoporum ordinem et hanc Apostolicam Sedem summa coniunctio. Haec porro coniunctio arctiore suapte vi facit eoque fera-ciorem in omni pietatis caritatisque genere, tum Episcoporum cum cetero Clero, tum cum Clero necessitudinem laicorum: qui quidem experrectiores iam inanique omissio pudore certant pro religione dimicare. Istam Nos quidem studiorum concordiam, ut saepe commendavimus adhuc, ita magnopere in praesens commen-damus: beneque precamur, ut eo latius inscrescat, sitque ad retundendos impiorum impetus pro muro inexpugnabili.

Tum proclive erit, tamquam ex arbore surculos, renata virescere sodalitia ex eis institutis non pauca, quae instituta laetissime provenire in Ecclesiam cernimus. Neque enim est ullus publicae pietatis ab his neglectus modus, sive quod ad colendum rite Christum et augusta ipsius mysteria, sive quod ad beatissimam Deiparam caelitesque sanctissimos pertinet. Similiter nulla praetermissa beneficentiae ratio: siquidem multiplex ubique impeditur opera erudienda ad religionem iuventuti, solandis curandis que aegrotis, populorum conformandis moribus, miseris aerumnosisque relevandis. Atqui tamen eiusmodi instituta, ne ad communem salutem

celerius uberiorusque proficiant, nimium saepe per summam iniuriam prohibentur publice!

Praeterea, cum ita, Dei munere, laetemur Ecclesiam in iis valere regionibus quas ad christianum cultum eductas iam diu possidet, tum etiam laetabilia spei novae se dant indicia. Idque ab industria studioque missionalium, qui nec laboribus victi nec periculis deterriti, in summa rerum omnium inopia, plures quotidie et alacriores, pergunt solidas nationes humanitati Evangelioque acquirere: pergunt constanter; licet, ut Magister divinus, crebris obtrectationum morsibus obnoxii.

Aegritudinum igitur sensum solatia temperant: atque inter discriminatius certaminis satis est caussae, cur meliora posthac coniiciendo recreemur. Quam quidem rem quisquis acuto sinceroque iudicio apud se reputaverit, intellicet profecto. Deum uti sua instructum ope docuit hominem, quae ad finis ultimi adeptionem facerent, item per Ecclesiam, ipsius manifeste praesidio subnimam, hodie quoque docere, ubi sit quaerenda salus.

Utcumque erit, assidente Ecclesiae Deo, sperandum firmiter est, fore ut, discussa qua nunc obscuratur caligine, lux veritatis opportuno tempore nec ita longo intervallo pulchrior effulgeat, atque humana societas, profligata prope ac perdita, a flante rursus Evangelii spiritu, resurgat.

Nobis quidem, Venerabiles Fratres, quae Nostrae sunt partes, omnia conari certum est ad tuendum ac promovendum Dei regnum in terris, si quo modo auspicatissimum adproperare diem liceat. Vos autem in pastorali officio novimus multo esse diligentiores, quam ut a Nobis hortandi sitis. Sed ista studii vestri flagrantia volumus sacrorum administros magis magisque calescere, socios vobiscum operae et laboris. Hi enim quae populus velit, quibus rebus indigeat, quae mala toleret, quot quantisque insidiis aut corruptelarum illecebris pateat, optime norunt, quippe vivunt cum populo. Quodsi Jesu Christi sensu abunde praediti, despectisque concertationibus politicarum partium, vobiscum una desudaverint, mirum quantum, auxiliante Deo, efficient in multitudine, collustrandis veritate mentibus, animis comitate alliciendis, sollerti caritate afflictam tenuium fortunam sensim sublevando. — In quo multum sane adiumenti conferet Clero actuosa proborum industria laicorum: atque ita quicumque in sinu complexuque Ecclesiae matris alti eductique sunt, omnes, ut gratos filios addecet, honorem ipsius et decora tuebuntur. Ad id autem operis, debitum in primis maximeque ad aeterna frugiferum, nemo non potest aliquid prodesse. Nam exculti doctrinis aut litteris homines possunt vulgandis in Ecclesiae defensionem scriptis, praesertim quotidianis; quod instrumentum perquam efficax in utramque partem, usitatissimum adversariis est: possunt patresfamilias, vel per se vel per praeceptratores bonos impertiendis christiana institutione liberis; magistratus etiam quique populi personam gerunt, constantiam recte sentiendi virtutemque reti-

nendo; omnes denique, nullo ad humana iudicia respectu, catholicos sese praestando. — Enimvero sapienter sentire, generose velle, ordine contendere oportet ut cum maxime. Ordinis autem disciplinaeque caput est, obediente et cum omni fide huius Apostolicae Sedis servare praescripta: ita ut sublatis opinionum dissidiis, illuc communiter tendatur, quod est commune propositum, Jesu Christo in Ecclesia victori sternere iter.

Id laborare catholicos, officium est: laborum exoptatum exitum Ille dabit, amantissimus idemque sapientissimus sponsae suae immaculatae custos, de quo scriptum exstat: *Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula.*¹ Ipsu igitur nunc quoque imploramus obsecramusque, qui atrocissimam pro humano genere mortem, immensum testatus amorem, ad expiandum oppetiit; quique mysticae navis sedens non visus gubernator in puppi, tot tantosque commotos fluctus potest uno nutu componere. Vosque, Venerabiles Fratres, ad Ipsum eritis Nobiscum supplices, ut hac mole malorum civilem societatem levet; splendorem lucis suae ad eos afferat qui ignoratione potius quam voluntate improba christianum nomen impugnant: robur alacritatemque novam bonis iniiciat: denique pacem et tranquilitatem communibus rebus, dominante rursus veritate iustitiaque, maturet.

Auspicem divinorum munerum vobis, Venerabiles Fratres, et gregi universo curis vestris concredito Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX. Martii anno MDCCCCII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

LEO PP. XIII.

Scepusii. die 18. Julii 1902.

Paulus, m. p.
Episcopus.

¹ Hebr. XIII, 8.

Feria IV., 21. Augusti 1901.

In Cong. ne Gen.li habita ab E. mis ac R. mis DD. Card. Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. CC. S. Officii voto, iidem E. mi D. ni respondendum censuerunt:

Ad 1. *Providebitur in 2.*

Ad 2. *Licere, ubi verum adest morbi periculum.*

Ad 3. *Negative.*

In sequenti vero feria VI, die 23 eiusdem mensis et anni, in solita audiencia R. P. E. Commissario S. O. impertita, SS. mus D. N. Leo Div. Prov. PP. XIII. audita de omnibus et singulis praemissis relatione, responsiones E. morum Patrum confirmavit.

I. Can. MANCINI, S. R. et U. *Inquisit. Notarius.*

2429

1902

Usus invaluit in dioecesi Novarcensi ut super Altaribus una cum candelis ex cera confectis lumina ex *gaz* accendantur ad maiorem splendorem obtinendum. Dubitans porro hodiernus Episcopus Novarcen. utrum id liceat, a Sacra Rituum Congregatione exquisivit:

„An super Altari praeter Candelas ex cera tolerari possit ut habeatur etiam illuminatio *ex gaz*, vel an usus praedictus prohiberi debeat?“

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, eiusmodi dubio rescribere censuit:

Negative ad primam partem; *Affirmative* ad Secundam.

Atque ita declaravit et rescripsit. Die 8 Martii 1879.

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Gongregatis. In fidem etc.

Ex eadem Secretaria, die 16 Maii 1902.

Pro R. P. D. Diomede Panici, Archiep. Laodic Sec.

Philippus Di Fava, *Substitutus.*

2430

1902

R. mus D. nus Thomas Heslin, Episcopus Natcheten. a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii declarationem humiliter expetivit; nimirum:

Quum Sacra Rituum Congregatio in una *Novarcen.*, 8 Martii 1879 prohibuerit illuminationem ex *gaz* una cum candelis ex cera super altari, ob paritatem rationis et sub iisdem circumstantiis censerine potest vetita etiam illuminatio electrica?

Et Sacra eadem Congregatio referente subscripto Secretario, atque auditio voto Commissionis Liturgicae, rescribere rata est;

Super altari,
praeter can-
delas ex cera,
non est tole-
randa illumi-
natio ex
„gaz.“

Super altari,
praeter can-
delas ex cera,
non est tole-
randa illumi-
natio
electrica.

Affirmative, ad tramites decretorium 8 Martii 1879 et Iunii 1895. Atque ita declaravit et rescripsit, die 16 Maii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
F. Panici, Archiep. Laodicen., *Secr.*

2431

1902

A plébániák
congrua
jövedelme

Közlöm az egyházmegyei tisz. papcsággal a közp. kath. kongruabizottság által 1901. év deczember havában megállapított s a kongruába beszámitható plébániai tiszta jövedelmek kimutatását:

Abaliget 4549 kor. 36 fill. (4897 kor. 16 fill.)* — Agárd 4355 kor. 58 fill. (4481 kor. 28 fill.) — Apar 2594 kor. 38 fill. (2835 kor. 66 fill.) — **B**aán 4296 kor. 99 fill. (4645 kor. 39 fill.) — Baar 1608 kor. 84 fill. (1671 kor. 16 fill.) — Babarcz 3752 kor. 68 fill. (4118 kor. 62 fill.) — Bakonya 3019 kor. 76 fill. (3140 kor. 08 fill.) — Baranyavár 2863 kor. 14 fill. (2690 kor. 84 fill.) — Batina 3034 kor. 02 fill. (3152 kor. 62 fill.) — Báta 4697 kor. 92 fill. (4756 kor. 40 fill.) — Bátaszék 6720 kor. 48 fill. (7115 kor. 76 fill.) — Bedegh 2427 kor. 82 fill. (2459 kor. 28 fill.) — Bellye 2556 kor. 32 fill. (2788 kor. 92 fill.) — Beremend 4886 kor. — fill. (5256 kor. 60 fill.) — Berkesd 4033 kor. 08 fill. (4255 kor. 76 fill.) — Bicsérd 4329 kor. 30 fill. (4457 kor. 34 fill.) — Bikal 1542 kor. 96 fill. (1596 kor. 38 fill.) — Bodony 3986 kor. 12 fill. (4337 kor. 74 fill.) — Bogdása 3362 kor. 94 fill. (4017 kor. 14 fill.) — Bonyhád 3093 kor. 90 fill. (3457 kor. 78 fill.) — Bozsok 3627 kor. — fill. (3893 kor. 50 fill.) — Böleske 2448 kor. 50 fill. (2532 kor. 78 fill.) — Bükösd 2771 kor. 76 fill. (2630 kor. 98 fill.) — Czikó 3327 kor. 32 fill. (3583 kor. 22 fill.) — Darázs 4283 kor. 84 fill. (4714 kor. 74 fill.) — Dályok 4288 kor. 08 fill. (4435 kor. 52 fill.) — Dárda 2695 kor. 50 fill. (2929 kor. 66 fill.) — Diós-Berény 2475 kor. 16 fill. (2556 kor. 18 fill.) — Dombovár 4394 kor. 42 fill. (4779 kor. 52 fill.) — Döbrököz 3850 kor. 66 fill. (4077 kor. 14 fill.) — Dráva-Szt.-Márton 2240 kor. 58 fill. (2407 kor. 30 fill.) — Duna-Földvár 6850 kor. 56 fill. (7757 kor. 08 fill.) — Duna-Szekcső 4684 kor. 76 fill. (5280 kor. 36 fill.) — Egerágh 6180 kor. 34 fill. (6857 kor. 94 fill.) — Értény 3269 kor. 60 fill. (3365 kor. 10 fill.) — Fadd 4042 kor. 36 fill. (4338 kor. 96 fill.) — Feked 1431 kor. 78 fill. (1652 kor. 40 fill.) — Felsö-Iregh 4686 kor. 28 fill. (4778 kor. 59 fill.) — Felsö-Mindszent 5082 kor. 10 fill. (5656 kor. 98 fill.) — Felsö-Nyék 2461 kor. 96 fill. (2527 kor. 76 fill.) — Garé 2544 kor. 85 fill. (2744 kor. 06 fill.) — Gödre 2534 kor. 59 fill. (2997 kor. 60 fill.) — Görcsöny 5494 kor. 52 fill. (6144 kor. 86 fill.) — Grábócz 3119 kor. 44 fill. (2999 kor. 12 fill.) — Gyula-Jováncza 3439 kor. 18 fill. (3677 kor. 56 fill.) — Harcz 1645 kor. 80 fill. (1728 kor. 40 fill.) — Herczeg-Szöllős 3206 kor. 02 fill. (3502 kor. 22 fill.) — Hetvehely 2552 kor. 68

* A zárójel közt levő számok az 1897. évben közölt jövedelmet jelzik.

